

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Apostoli Ad Galatas Paraphrasis Per Des. Erasmum
Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
 EPISTOLAM PAULI APOSTOLI
 AD GALATAS
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM;

CAPUT I.

PAulus apostolus, et apostolus non quilibet, ne quis me ut inferioris notae apostolum contemnat, aut aliorum apostolorum auctoritate premat. Neque enim haec functio mihi ab hominibus delegata est, quemadmodum aliis quibusdam, qui quum apostolorum discipuli sint, pro eximiis apostolis sese gerunt, aut qui redemptis hominum favoribus in apostolicum munus ingerunt sese. Neque per ullum hominem quamlibet praeminentem mandata est evangelii praedicandi auctoritas, sed per ipsum Iesum Christum Dei filium, qui me non humanis suffragiis evangelii praeconem esse iussit, sed suaviter voce iam immortalis coelitus evocavit ad hoc negotii, nimirum ex sententia et auctoritate Dei patris, qui filium Iesum excitavit a mortuis. Neque enim ideo vivere desiit, quod a nobis videri desierit. Imo si merito pro magnis apostolis habentur, quos ille mortalis adhuc inter homines, hominem agens designavit, certe non inferior habendus videor, quem

Kk 3

e coelis, non ut homo iam, sed ut Deus ad apostolicum munus obeundum excivit. Siquidem in hoc partem etiam primariis apostolis, quod ab eodem Iesu Christo sum institutus. Illud praerogativae mihi iure possim asserere, quod illos adhuc nostri corporis iniuriis obnoxius delegerit, me seorsum unum sevocarit, posteaquam omnem humanae conditionis imbecillitatem exuisset. Paulus igitur ille ego apostolus, et talis apostolus, scribo vobis hanc epistolam, quicumque per omnem Galatiam in Christi doctrinam conspirastis; **2** nec ego solus, ne forsitan unius levis sit auctoritas, sed quotquot hic sunt; est autem immensus numerus, qui mecum unanimes Christi nomen profitentur, et relicta Mose lege, fidem ac doctrinam evangelicam amplectuntur, **3** optamus vobis omnibus, primum gratiam, deinde pacem, et concordiam; gratiam, quae praestet, ut semel gratis exempti pristinis peccatis, posthac innocentem ac puram agatis vitam; concordiam, ne quid dissentiat a reliquis ecclesiis, aut etiam a vobis ipsis, quorum utrumque nobis sperandum est, non a Mose, aut ab ullo mortali, sed ab ipso Deo patre, unde velut a fonte nostra salus omnis proficiscitur, et ab huius filio domino nostro Iesu Christo, per quem ille nobis omnia largiri voluit, cui convenit acceptum ferri, quidquid malorum effugimus, et quidquid bonorum sumus consequuti. **4** Neque enim circumcisio mosaica cuiquam restituit innocentiam, sed ipse Christus ultro semetipsum in mortem obtulit, quo nostra commissa dependeret, ut sic per evangelii gratiam praestaret, quod observatio legis mosaicae praestare non poterat, ut huius unius beneficio liberati a vitiis ac noxiis cupiditatibus, quibus hic mundus obnoxius est, posthac nec turpitudini, nec humanis caeremoniis serviamus. Ita visum est Deo, patrique nostro, a quo primum conditi, nunc posteaquam vitio nostro in ius alienum relapsi fueramus, denuo sumus asserti, ac vel-

uti renati, quodammodo coelestes e terrenis facti, e carnalibus redditi spirituales. Huic igitur, a quo nobis felicitatis nostrae summa proficiscitur, fit honos et gloria, non temporaria, quemadmodum contigit mosaicae legi, sed nullis unquam seculis intermoritura. Amen. Id quum fit a me nuper vobis praedicatum, quumque vos semel amplexi sitis, demirror, quid acciderit, ut a tam benigno patre desciscatis, et desciscatis tam cito, alienati ab eo, qui condonatis gratuito commissis omnibus, vocavit et invitavit vos ad aeternam salutem, non per opera legalia, sed per gratiam ac beneficentiam gratuitam Iesu Christi, ac subito in servitum legis mosaicae, velut in aliud evangelium conversi, quum nullum omnino sit evangelium, praeter id, quod a nobis est praedicatum. Unde tanta inconstantia? Unde ista levitas, ut gratis datam libertatem ultronea servitute velitis commutare? Vestrum ingenium incusare non libet, magis arbitror imputandum pseudapostolis quibusdam, qui Mosi praecones verius, quam Christi, imponunt simplicitati vestrae, vosque magnificis summorum apostolorum titulis perturbant, metum ac terrorem incutientes animis vestris, quasi sine circumcisionis adminiculo non possitis salutem consequi, non tam renovantes priscae legis caeremonias, quas iam antiquatas atque abolitas esse oportuit, quam hoc praetextu subvertentes evangelium Christi. Quod quum per fidem ac vitae pietatem perfectam salutem polliceatur omnibus, quicumque voluerint illud amplecti, vanum ac fallax habebitur, si, quod isti docere conantur, non patet aditus ad aeternam salutem, nisi iuxta mosaicum ritum amputetur praeputii pellicula. Absit ut illius hominis auctoritas vos ab evangelii sinceritate dimoveat. Et adeo vos non commoveant Petri, aut Iacobi, Ioannisque quantumvis magna vocabula, quibus abutuntur quidam ad illaqueandos vos legis oneribus, ut etiamsi quis angelus e coelo vobis praedicarit

evangelium diversum ab eo, quod a nobis praedicatum est, non solum non audiatur, verum etiam execrabilis et abominandus habeatur vobis. Quod dixi, ne quis per iracundiam animique impotentiam mihi putet excidisse, etiam atque etiam repeto, quisquis ille fuerit, sive angelus, sive quantumvis inclytus apostolus, qui vobis praedicaverit diversum ab eo, quod a nobis accepistis, execrabilis et abominandus habeatur. Nullius enim hominis, imo ne angeli quidem auctoritas apud nos valere debet, quoties de rectitudine fidei agitur. Qui praedicat evangelium Christi, Dei negotium agit, non hominis. Cur igitur verear ullius hominis auctoritatem? A Deo, non ab homine mihi commissum est evangelium. Id utrum, quaeso, sic tractare debeo, ut hominibus satisfaciam, an Deo, quem unum auctorem ac dominum agnosco? Judaei quodam affectu humano student omnibus obtrudere ritus suos, quo videlicet ipsi pluri fiant hoc praetextu, ut quisque praeclara videri cupit, in quibus ipse fuerit institutus. Proinde quidam horum gratiam captantes, circumcisionem suadent, praedicant sabbata ac ciborum delictus, perinde quasi rem eximiam tradant, quum ista tradunt. Sed absit, ut ego eorumque placere studeam Judaeis, humana magis quam divina sectantibus, ut patiar evangelii sinceritatem admixtu Judaismi vitari. Olim addictus Judaismo genti meae placebam, modis omnibus persequens eos, qui Christi nomen profiterentur. Sed dum hominibus placeo, Deo displiceo, qui Mosén antiquari, Christum filium suum illustrari voluit. Quamdiu legi serviebam, Mosi praescripta servare curae fuit, et laudem ab hominibus persequerbar. Nunc alio me vocavit Deus, cui soli probari cupio. Quod si posthac etiam eandem laudem captarem ab hominibus, Christi servus esse desinerem. Nam qui servus huius videri possim, si plus tribuam hominum studiis, quam eius praeceptis, si magis metuam, offen-

dere Judaeos, quam Deum Christi patrem, et evangelii auctorem? Posteaquam semel addixi me Christo, nunquam servivi Mosis caeremoniis, quas ob Christi lucem antiquatas sciebam. Quamquam enim semel atque iterum ad sedandum tumultum quosdam ritus patrios, apud Judaeos agens, observavi, nunquam tamen in his ullum salutis praesidium constitui, sed ideo memet ad tempus accommodavi meorum affectibus, quo plures Christo lucrifacerem. Caeterum ubi conspicio meum obsequium ab istis alio detorqueri, ac rem eo venisse, ut non vereantur legis observandae sarcinam ceu necessariam imponere his quoque, quos a legis onere liberos reperit evangelium, palam ac libere reclamandum mosaïcis ritibus, et aperte detestandum, quod in Christi damnum cedit. Nec me deterrebit ullius apostoli quamlibet insignis auctoritas, fretum auctore Christo, cuius praescriptum per omnia discrimina sequor. Porro quo magis intelligatis, me non ¹¹ temere descivisse a mosaïcis ritibus, tantaque fiducia nunc praedicare libertatem evangelicam, nolim vos latere, fratres, evangelium, quod vobis tradidimus, non esse auctoritatis humanae, ut ad cuiusquam hominis voluntatem debeat immutari, velut ab homine profectum. Qui vobis praedicant circumcisionem, unde ¹² suum sumserint evangelium, ipsi viderint. Meum certe evangelium nec ab homine sum mutuatus, nec ab homine sum edoctus, ut cogar vel ab auctore pendere, vel alicuius interpretationem spectare. Christus ipse mihi dignatus est aperire veteris abolitae, novaeque legis inductae mysterium, ne quis me putet vel temere mutatum, vel a parum gravi auctore sumsisse evangelium, quod praedico. Christus sic homo est, ut mortalis non sit, nec mortalium affectibus obnoxius. Sic homo est, ut idem sit Deus. Huius arcana vis et afflatus me subito mutavit in alium virum, alioqui adfectior eram legi mosaïcae, cuius venerationem ac re-

ligionem a maioribus imbiberam, quam ut ulla persuasione humana potuerim ab ea distrahi, nisi numen ali-
 13 quod afflasset animum meum. Quod narro non arbitrator obscurum esse. Nam opinor id vobis fama cognitum, quo studio me gesserim olim in Iudaismo, amore legis, in tantum abhorrens ab evangelio Christi, cuius arcanum nondum acceperam, ut novam congregationem, quae tum in evangelicam doctrinam afflatu Dei colligi coeperat, modis omnibus insectarer, ac prorsus hostili animo depopularer, existimans, me rem egregiam Deoque gratissimam facere, dum inscius ad-
 14 versus Deum gero bellum. Et sane succedebat res. Nam in Iudaismo, quem tum solum sanctum ac pium esse iudicabam, tantum laudis assequutus sum inter meos, ut plerosque meae aetatis antecellerem, hoc habitus religiosior, quo pertinacius haerebam institutis a maioribus traditis. Iudicio siquidem errabam, non affectu, studioque legis auctori legis repugnabam. Atque id quidem Deus arcano quodam suo consilio passus est ad tempus, videlicet quo mox e tanto legis propugnatore, repente mutatus in evangelii praeconem, plu-
 15 res exemplo meo pertraherem ad Christum. Proinde simul atque visum est Deo, qui me iam olim a matris utero destinarat ac selegerat in hoc negotium, declare suam in me voluntatem, meque nihil tale promerentem, sua gratuita bonitate vocavit ad hoc munus,
 16 ut per me, velut organum, notum redderet filium suum Iesum, Iudaeis adhuc perpauca, gentium pene nulli cognitum, inter quas potissimum me voluit evangelii praeconem esse, quid me fecisse creditis? Num haesi maiorum institutis? Num cunctatus sum aggredi delegatum munus? Num diffusus sum oraculo Christi? Num cum meae gentis apostolis ullis contuli meum evangelium, aut quemquam omnino mortalem consulturus adii? Num Hierosolymam profectus sum, ut eorum auctoritate, qui quoniam me priores ad apostoli-

cam dignitatem vocati sunt, plurimi fiunt, meum fulciretur evangelium? Minime. Neque enim existimabam, hominis auctoritate comprobandum, quod ipse Christi iussu delegatum esset. Quin protinus ubi cognovi errorem meum, ubi mandatum accepi coelitus, nihil moratus profectus sum in Arabiam, nihil veritus Christi nomen adhuc vel obscurum, vel invisum, etiam feris ac barbaris nationibus ingerere, nec minore studio praedicare gratiam evangelii, quam antea mosaicam legem praedicaram. Rursus Arabia relicta, Damascum reversus sum, ubi mox a baptismo coeperam Christi nomen profiteri. Deinde peracto triennio **18** veni Hierosolymam, Petri visendi gratia, potius quam cum illo conferendi. Commoratus sum autem apud illum dies non plus quindecim, quod inter apostolos primas tenere videretur. Neque quemquam aliorum **19** apostolorum studui visere, praeter Iacobum cognomento Iustum, qui ob insignem vitae sanctimoniam frater domini dictus est. Nam is ecclesiae Hierosolymitanae primus omnium episcopus est datus. Tantum abest, ut evangelio meo diffusus ad humana praesidia confugerim. Nihil horum fingere me, testis est ipse Deus, **20** cuius iussu negotium evangelii praedicandi suscepi. Posthaec contuli me in regiones Syriae Ciliciaeque, **21** nusquam non profitens nomen Christi. Nam in his quoque regionibus coeperant aliquot Judaeorum greges conspirare in Christi doctrinam. Verum his de facie **22** quidem parum eram notus, licet ipse natus Judaeus. Tantum illud rumore cognoverant, me esse illum, qui repente mutatus nutu divino, ex persecutore christianae fidei, nunc factus essem praeco christianae fidei, quam pridem pro viribus oppugnatam, nunc capitis periculo defenderem. Quamobrem duplici nomine **23** Deo mutationis huius auctori gratabantur, et quod gravi persecutionis molestia liberati essent, et quod professionis suae talem essent nacti propugnatorem,

CAPUT II.

- 1 **C**Aeterum ubi iam per annos quatuordecim gentibus potissimum evangelii doctrinam praedicasset, rursum me recepi Hierosolymam, comitibus Barnaba et
- 2 Tito, quos huius rei testes esse volebam. Id autem feci, non iam officii gratia, quemadmodum prius, sed iussus oraculo divino, quo magis liqueret Judaeis, non iam e circumcissione petendam salutem, sed ab evangelica fide, posteaquam viderent tam multos e gentibus absque circumcissionis praesidio vocatos ad communem salutem. Cum his igitur contuli meum evangelium, quod haecenus auctore Christo praedico inter ethnicos, sed praecipue cum his, qui plurimum apud Judaeos pollebant auctoritate, ne quisquam eorum, qui credebant adhuc legem mosaicam cum evangelio Christi miscendam esse, iactitaret me in evangelico stadio vel haecenus frustra cucurrisse, vel nunc etiam currere, quod absque mentione circumcissionis per fidei donum illis essem pollicitus eandem salutem, quam nos circumcisi, Christo freti, speramus.
- 3 Tantum enim abest, ut circumcissionis onus gentibus duxerimus imponendum, ut ne Titus quidem, quum et Hierosolymis, et inter Judaeos circumcissionem mordicus tenentes versaretur, a Judaeorum primoribus apostolis compulsus (*) sit circumcidi, propterea quod Graecus esset, non Judaeus. Quo minus vobis id est faciendum in vestra Galatia, compellentibus huc pseudapostolis. Qui inter apostolos primas tenebant, non exegerunt a nobis, ut Graecum circumcideremus, nimirum id agentes, ut servitus legis paulatim antiquaretur, et evangelii constabiliretur libertas.
- 4 Verum irreperant in coetum nostrum quidam falso nomine christiani, quum id urgeant, quod Christus voluit obsolescere. Insidiosae vero

(*) Alia editio: *iussus*

sese insinuarant, ut explorarent libertatem nostram,
 quam nobis peperit evangelium Christi, cui invidē-
 bant, id agentes, ut nos in servitutem legis per cir-
 cumcisionem retraherent. Ab his potius, quoniam
 instabant odiose, compellendi videbamur, ne quid tu-
 multus existeret. Quamquam ne his quidem eo usque 5
 cessimus, ut illis vel ad tempus obsequentes, Titum
 circumcideremus, idque fecimus vestra causa, ne quod
 in Tito factum esset necessitate, vos citra necessitatem
 imitantes, ab evangelii veritate excideretis, in Judai-
 smum prolapsi. Quod si quidam, quorum est praeci- 6
 pua auctoritas, aliquando circumcisionem a quibusdam
 vel exegerunt, vel permiserunt, rectene id fecerint
 an secus, mea non refert, mihi satis est, quod vetere
 sententia relicta, nunc mecum sentiunt. Apud homi-
 nes personae valet opinio, apud Deum sola veri ratio
 est. Sint illi me praecellentiores auctoritate, certe
 quod ad evangelii sinceritatem attinet, adeo nihil mi-
 hi contulerunt, ut a me potius illis aliquid accesserit.
 Etenim ubi communicato cum illis evangelio meo, 7
 perspexissent, mihi aequae a Christo commissum evange-
 lii praedicandi munus inter gentes, atque Petro delega- 8
 tum erat inter Judaeos, meamque praedicationem
 non minus efficacem fuisse citra circumcisionis admini-
 culum, quam Petri fuerat adhibita circumcissione, quum- 9
 que nobis referentibus, parem evangelii gratiam mihi
 quoque collatam cognovissent, Petrus, Iacobus et Io-
 annes, nam hi videbantur apud illos esse columnae:
 Tantum abest ut damnarint evangelium nostrum, ut
 potius datis dextris mecum et cum Barnaba foedus ac
 societatem inierint, ut idem evangelium concordibus
 animis in sua quisque portione praedicaremus, nos in-
 ter gentes, illi inter Judaeos. Neque nobis iniunxe- 10
 runt, ut quemquam e gentibus ad circumcisionem vo-
 caremus. Tantum rogaverunt, ut inter gentes praed-
 icantes evangelium, pauperum, qui Hierosolymis age-

bant, memores essemus, si qui quid in eorum subsidium conferre vellent. Qua quidem in re, quoniam non abhorrebat ab evangelica doctrina, studiose parvum illorum mandatis, haud quaquam parituri, si de circumcidendis Graecis nobis mandassent. Neque enim aequum est, ut tantum apud nos valeat cuiusquam mortalis auctoritas, ut in illius gratiam parum recte consulamus evangelico negotio. Etenim quemadmodum initio res ita ferebat, ut his, qui ex Judaismo sese convertissent ad professionem evangelicam, quoniam a maiorum institutis, quorum religionem a pueris imberant, prorsus avocari non poterant, nonnihil indulgeretur ad tempus, ne per hanc occasionem complures alienarentur a Christo: Ita conandum erat, ut aliquando, monitis nostris edocti, desinerent hac uti indulgentia, praesertim quum longe plus periculi, quam lucri videretur allatura. Siquidem perquam exiguus est numerus eorum, qui ex Judaeis evangelii fidem amplexi sunt, prae his, quos ex gentibus Christo lucrifecimus. Atque ex his in posterum quoque multo uberius spes aridet, quum gentium tot nationes latissime pateant, Judaeorum genus angustis admodum finibus circumsepiatur. Horum maxima pars sic abhorrebat a circumcissione, ut citius Christum adspernaturi fuerint, quam legis odiosae iugum subituri. Quin et illud periculi est, ne si diu passimque hac utantur indulgentia, fiat ut beneficium salutis gratuitum, quod Deus suae bonitati, nostraeque fidei voluit acceptum ferri, videatur magna ex parte deberi legis caeremoniis. Quas si conspexerint a primariis apostolis observari, interpretabuntur, qui superstitiones sunt, absque his non satis esse fidem evangelicam ad consequendam salutem. Nam factum vident omnes, animum non vident. Et est fere in peiorem partem suspicax mortalium animus. Ita quod illi fecerint pro tempore, morem gerentes quorundam invincibili superstitioni, contraque animi sui

sententiam, id alii iudicabunt religione, non obsequio factum. Tolerata est ad tempus Judaeorum excusabilis infirmitas, a qua paulatim oportebat illos proficere. Caeterum nullo modo permittendum est, ut a gentibus exigatur, quod in Judaeis pro tempore toleratum est. Judaeos primum excusabat a maioribus hausta persuasio, diuturnus usus, cuius vis naturam aequat, auctor Deus, aliaque permulta, quorum nihil gentibus patrocinari poterit, si Christum cum Moese miscuerint. At gentium mihi peculiaris cura delegata est, quemadmodum Petro Judaeorum. Convenit autem, ut utrique sua provincia potissimum cordi sit. Qua quidem in re nullius auctoritati cessurus sum, adeo I I ut quum Petrus venisset Antiochiam, quamquam viderem huius inter apostolos primam esse auctoritatem, tamen non veritus sim palam et in os obfistere, pluris habens evangelii negotium, quam illius dignitatem. Neque dubitavi metum illius ac vacillationem, quam prae se ferebat, coram omnibus reprehendere, quum ipsa res vel hoc nomine reprehensibilis esset, quod in gravem multorum perniciem vergeret, secus interpretantium quam ille sentiret, videlicet quasi superstitione motus id faceret, non studio consulendi Judaeorum infirmitati. Etenim quum prius accumbens in convi- I 2 vio quorundam, qui ex gentibus accesserant evangelicae professioni, promiscuis cibus una cum illis vesceretur, mox ubi supervenissent aliquot ex Judaeis, a Iacobo missi, subducebat sese a convivio, dissimulans se communi cum illis usum mensa, videlicet metuens, ne quid offenderet animos eorum, quos adhuc superstitioniosiores esse suspicabatur, quam ut in totum ciborum delectum possent contemnere, parumque pium esse ducentes, (*) Judaeum cum ethnicis habere meniae quoque communionem. Ea Petri simulatio quamvis ab I 3 animo pio proficiscebatur, tamen inconsulior erat, et in manifestam perniciem multorum vergebat, adeo ut

(*) Aliae: ducerent

non solum Judaei caeteri, qui nobiscum accumbebant, assentirentur simulanti Petro, verum et Barnabas quoque collega meus, motus auctoritate Petri, se etiam una cum Petro subduceret e convivio. Quorum simulationem non dubitabam quin caeteri fere omnes fuerint imitaturi, ni acri manifestaue obiurgatione fuisset
14 itum obviam. Itaque quum viderem, quod quidam nunc gentibus, nunc Judaeis sese accommodantes, veluti claudicarent, neque satis recte aut constanter ingrederentur ad evangelii veritatem, quae iam sic eluxerat, ut tempus esset, eam libera fronte constanterque profiteri, legis caeremonias antiquatas esse, neque quidquam conferre ad salutem evangelicam, ut omnium periculo mederer, restiti Petro coram omnibus, ut castigato capite, caeteri ad illius exemplum resipiscerent, ubi conspexissent illum obtemperantem admonitioni nostrae. Restiti autem his verbis: Quid agis Petre? Quo consilio te subducis? Cur dum tuis inconsulto metuis, hos meos in perniciosam inducis superstitionem? Etenim si tu, quum natura Judaeus sis, et tamen contempta gentis tuae superstitione, gentium more vivis, nihil impurum ducens, quod Deo non sit impurum, quumque id et antehac feceris cum centurione Cornelio, ac modo nobiscum, cur nunc tui dissimilis, parumque constans subducis te e convivio, perinde quasi quod antehac ciborum delectum ac gentium commercium neglexeris, non certo consilio iudicioque feceris, sed humana facilitate. Nec sentis exemplum istud tuum eo tendere, ut non solum Judaei in sua superstitione confirmentur, quam abolitam oportuit, verum etiam ex gentibus adiuncti Christo, tuo, qui primus es inter apostolos, exemplo cogantur Judaicis onerari caeremoniis, a quibus Christus eos liberos esse voluit, nec hos modo, quos evangelii gratia liberos reperit, verum etiam Judaeos ipsos, quos obnoxios reperit.
15 Nos qui non sumus ex gentibus orti, quas omnes Judaei

daei pro peccatoribus et impuris ducunt, quosque idololatrias reperit evangelii praedicatio, sed genere sumus Judaei nati sub lege, cui recte pro tempore servivimus, tamen edocti, quod per eius legis observationem ¹⁶ non contingat cuiquam homini vera iustitia, sed potius per fiduciam, qua salutem speramus nobis ex Christi gratuita beneficentia, diffisi legi maiorum, ad Christi fidem confugimus, cuius praesidio nobis veram iustitiam, quae nos non hominibus commendet, sed Deo, pollicemur, quam legis observatio velut inefficax praestare non potuit. Et post haec gentibus auctores erimus, ut Christo diffisi ad legis praesidia confugiant, quum habeamus ipsa re compertum, neminem omnino mortalium legis beneficio veram consequi posse iustitiam? Alioqui quid erat opus ad evangelii fidem transire? Quod si semel amplexi fidem evangelicam, ¹⁷ nihilo secius comperimus nos adhuc peccato obnoxios, ut rursus alio remedio sit opus, id quod nobis usu venit in lege mosaica, ac frustrati spe cogamur ad legem semel relictam denuo refugere, quid dicemus? An quod Christus, quem auctorem perfectae iustitiae credidimus, potius iniustitiae fomes sit, qui non solum non auferat iniustitiam pristinam, verum etiam per occasionem addat iniustitiae cumulo, et adeo non conterat speratam salutem, ut graviolem insuper adducat condemnationem, quandoquidem huius fiducia legem reliquimus, ad quam si cogimur redire, videmur eam vitio et inconsulte reliquisse, atque huius mali Christus videtur occasionem dedisse. Sed absit, ut quisquam ita sentiat, existimetque evangelicae gratiae quidquam deesse, quod a Mofi lege sit petendum ad consequendam salutem. Etenim posteaquam evangelii legem amplexi sumus, rursus ad Mofi legem recurrere, defectio quaedam est a Christo, et evangelii contumelia. Imo quisquis Judaeus, aut profelytus id facit, declarat sese mosaicae quoque legis transgresso-

rem. Nam si ea pertinebat ad consequendam salutem,
18 cur reliquit? Si non pertinebat, cur repetit? Si demolitus aedificium, rursus ab iisdem fundamentis erigo quod destruxeram, nonne vitium meum ipse prodo,
19 qui instaurem, quod non recte sim demolitus? Nihil est igitur causae, cur semel amplexi fidem evangelicam, per quam Christi benignitas perfectam, et iustitiam, et salutem nobis conferre voluit, ad crassae legis praesidia respiciamus, cui iam desivimus esse obnoxii. Nam quemadmodum mors alterius conjugum superstitem liberat a iure matrimonii, ita mihi Judaeo cum lege negotium erat, donec durante iure mutuo, et mihi vivebat lex, et ego legi. Verum simul atque per Christi mortem ac sacrum lavacrum addictus sum legi fidei, quae spiritualis est, quodammodo mortuus sum legi crassae, nec ita mortuus illi, ut desierim vivere, sed ut felicius coeperim vivere. Antehac vivebam Moysi, nunc vivo Deo. Deus enim spiritus est. Quemadmodum Christus antea vixit mortalis, corpus nostris malis obnoxium circumferens, is mortuus carni, mortuus hominibus, nunc vivit Deo patri, liber ab omnibus mortalitatis iniuriis. At ego per baptismum una cum Christo sum crucifixus, una cum illo mortuus, rebus hisce crassioribus, quae carnem potius quam spiritum sapiunt, adeo non teneor, ut illis
20 sim mortuus. Neque enim vivo ego ille quondam crassus et carnalis, et humanis cupiditatibus obnoxius. Mortuus est Saulus ille legis propugnator, et evangelii persecutor, atqui hausto Christi spiritu, melius vivo. Imo non vivo ipse, qui ex me quidem nihil aliud quam carnalis sum, sed vivit in me Christus, cuius spiritus omnia mea suo arbitratu moderatur. Porro quod nondum prorsus ab omni mortalitatis contagio sum immunis, sed adhuc corpus hoc circumfero, non nihil obnoxium humanis affectibus ac mortalitatis iniuriis, quodammodo tamen vivo vitam immortalem,

certa spe conceptam, idque fretus promissore filio Dei, cuius gratuita beneficentia mihi contigit donum fidei, per fidem iustitia, per iustitiam continget immortalitas, non ex observatione crassae legis, sed ex inaudita caritate Christi, qui suapte sponte nihil promeritum dilexit, adeo ut pro meis peccatis crucis supplicium dependerit, pro mea salute semetipsum in exitium dederit. Gratuitum est totum, quod ille largitus est. Voluit ille nos salutem nostram suae debere benignitati, non legis observationi. Ultro defert ille beneficium hoc omnibus, aufert peccata, largitur innocentiam. Nonne sim ingrattissimus, imo nonne contumeliosus in² Christum, si quod offert, reiiciam? An non reiicit autem, qui post baptismum acceptum ad legis praesidia respectat, quasi mors Christi non sat efficax sit ad abolenda peccata mundi totius, et omnibus conferendam salutem aeternam? Etenim si per innocentiam contingit immortalitas, unde nobis quaeso speramus utrumque? A fiducia legis, an ex beneficentia Christi? Si ex huius beneficentia, cur adhuc a lege pendemus? Si ex legis observatione, Christus frustra mortuus sit necesse est, quandoquidem id, cuius gratia mori voluit, per illius mortem non assequimur.

CAPUT III.

VUlgo male auditis stultitiae, facilitatisque nomine, sed hac in re, o vere stulti Galatae, quibus res usque adeo absurda persuaderi potuerit, ut quum Iudaeos ab onere legis liberarit evangelii fides, vos liberi nati, ultro dedatis vos in servitatem? Quidquid est hic mali, non totum vobis imputo, vestram credulitatem facilitatemque accuso. Sed magis accuso quorundam malitiam, qui vestros animos huc induxerunt, quos utinam sequi maluissetis, quam pestilens aliorum consilium.

Ll a

Quis fuit ille, qui vestrae invidens felicitati, qua haec tenus fruebamini per libertatem evangelicam, fascino vos laesit, ac pristinam mentem Christo dignam excantans, istam incantavit dementiam, ut veluti Christo diffusi, ad frigidae legis praesidia confugiatis? Ubi nunc illa praeclara fiducia, qua per mortem Christi sperabatis perfectam iustitiam ac salutem, absque legis auxiliis? Quorum animis sic erat impressus Jesus Christus, unus auctor totius salutis, sic illum cernebatis oculis fidei, per crucem suam patri reconcilians mundum universum, quasi aut depictus fuisset conspectibus vestris, aut vobis testibus res acta fuisset, quae acta est Hierosolymis. Plus vos vidistis quam Iudaei, qui pendentes in cruce conspicati sunt, et abnegarunt. Inter vos vere crucifixus erat, qui ex illius morte sperabatis aeternam salutem. Ad aeneum serpentem in stipite praefixum vertebatis oculos, a quo solo sperabatis remedium peccatorum omnium. Nunc subito mutati, quonam avertitis oculos vestros? Si quid adhuc sanae mentis superest, vel illud perpendite, quod in promptu est, quodque vel caeco possit esse perspicuum, ne subtilibus ac longe repetitis argumentis vobiscum agam. Meministis vos nuper ad praedicationem evangelii per baptismum, et manuum nostrarum impositionem, concepisse spiritum Christi. Non erat inanis persuasio. Linguarum, prophetiae, sanationum, caeterarumque dotium miracula docuerunt rem esse virtutis divinae, non humani praestigii. (*) Hunc autem spiritum unde tandem accepistis, ex circumcisione mosaica, an ex eo, quod per me credidistis evangelio Christi? Alienis a lege mosaica Christus tamen efficacem spiritum suum ob fidem vobis impartivit, certum arrhabonem promissae felicitatis: Cur nunc aliunde speratis salutem, quam unde pignus salutis habetis tam evidens? Si circumcisionem vobis praedicavi, et hu-

(*) Aliae: praesidii

ius fiducia vobis contigit spiritus coelestis, nihil obsto, quo minus aliquam salutis portionem acceptam feratis legi mosaicae. Sin nihil praeter Iesum Christum a me didicistis, et in hunc unum coniecta fiducia easdem dotes in vobis experti fuistis, quas per baptismum accipiunt Iudaei, quid est causae, cur vobis putetis Iudaismum gravem et inutilem accersendum in contumeliam Christi? Cordatorum est, ab utcumque coeptis ad meliora proficere. Vos contra, a tam praeclaris orsis ad deteriora relabimini. Iudaei sub legis crassae servitute nati, relictis maiorum ceremoniis ad spiritualem evangelii doctrinam se conferunt. Vos contra, quum ab evangelio vestram professionem fitis auspicati, in Iudaismum degeneratis. Illi ex Iudaeis fiunt christiani, vos cupitis e christianis fieri Iudaei? Si lex mosaica confert salutem, quid opus erat dare nomina Christo? Cur nunc relinquitis eum, cuius gratia tantum afflictionum estis passi ab iis, quibus invisum est Christi nomen? Desciscit enim a Christo, quisquis ex circumcissione sibi promittit salutem. Ergo ne committetis, ut tantum malorum ob Christi professionem frustra passi videamini? Sed absit, ut frustra pertuleritis ista. Errastis hactenus iudicio, non affectu, alieno impulsu vacillastis, non vestra malitia. Mature respiscetis, nec patiemini pristinae fidei vestrae perire fructum. Deus igitur, qui impartit vobis spiritum suum, qui miraculorum argumentis declarat vim suam per vos, utrum id facit conciliatus vobis observatione legis mosaicae, an potius ex eo, quod nobis Christum praedicantibus credidistis? Si proselytos, qui cooptantur in Iudaismum, ubi circumcisi sunt, comitatur ea vis signorum, quae vos comitatur, est cur legem putetis expetendam? Sin haec solam evangelicam fidem comitatur, cur aliunde speratis finem, quam unde videtis ortum initium? Princeps circumcissionis et auctor est Abraham, cuius

filios se gloriantur esse Judaei, qui ad illius exemplum circumciduntur. At ne is quidem verae iustitiae laudem consequutus est ex circumcissione, verum ex fide habita promittenti Deo, quum nondum esset circumcisus. Neque enim legimus in Genesi, circumcisus est Abraham, et iustus factus est, sed, *credidit Abraham*
7 *Deo, et imputatum est illi ad iustitiam.* Itaque, quod posteris Abrahae promissum est olim, non pertinet ad istos, qui praeter circumcissionem nihil habent Abrahae, sed qui tanquam germani filii fidem parentis referunt, credentes evangelio. Porro qui circumcissione tumidi, filios Abrahae iactitant sese, frustra gloriantur, quum nothi sint, non legitimi filii Abrahae. Nam apud Deum hi aemum sunt filii Abrahae, qui ad illius exemplum toto pectore credunt fiduntque Deo, nobis per evangelium loquenti, quocumque genere ducant originem. Siquidem haec propinquitas non sanguinis af-
8 finitate, sed aemulatione mentis censetur. Animadvertite vero, quam id, quod nunc dico, iam olim scriptura praesenserit ac significarit, videlicet iustitiam omnibus sperandam ex fide, non paucis ex circumcissione. Quod hodie vobis praedicatum est per evangelium, id tot retro seculis Deus promiserat Abrahae, dicens: *Omnes gentes laudem ac benedictionem consequentur in te.* At fieri non potuit, ut omnes gentes ex Abraham nascerentur, et tamen omnibus per illum promittitur benedictio, tanquam illius posteris, non utique ob sanguinis propinquitatem, sed ob aemulationem fidei. Siquidem filiorum est exprimere parentem.
9 Proinde qui diffisi legis ceremoniis atque operibus, fidunt evangelicis promissis, hi tanquam veri filii Abrahae cum parente fidei, benedictionem illi promissam consequentur, exclusis iis, qui circumcissionis fidunt praesidio, ceu nothis et adulterinis, et ad quos magis
10 pertinet execratio, quam benedictio. Etenim quicumque pendent ex observatione legis mosaicae, quam

tamen non observant, obnoxii sunt execrationi. Ipsi
 Judaei non possunt inficias ire, quando constat ita
 scriptum in libro Deuteronomii Cap. XXVII. *Exse-*
crabilis sit, quisquis non perstiterit in omnibus, quae
scripta sunt in libro legis, ac praestiterit ea, quae le-
ge iubentur. Non promittitur iustitia fervanti legem,
 at denuntiatur execratio non fervanti. Quis autem
 est, qui totam legem praestare possit, quae quum ve-
 tendo irritet peccandi libidinem, non confert tamen
 robur ad vincendam animi cupiditatem. Denique ut
 maxime totam praestet aliquis, fortassis hic iustus ha-
 bebatur apud homines, apud Deum non item, apud
 quem si nemo iustitiae laudem meretur per legis obser-
 vationem, palam est nimirum esse verum, quod scri-
 psit Abacuc propheta Cap. II. *iustum ex fide vivere.*
 Siquidem ut peccatum mortis est seminarium, ita vi-
 tae fons est innocentia. Lex autem non nititur fide,¹²
 sed observatione praescriptarum caeremoniarum, eas
 qui servarit, vitam quidem assequetur, at non aeter-
 nam vitam, quam pollicetur fides. Qualis est iustitia,
 quam praestat lex, talis est vita. Apud homines iu-
 stus est, qui legis praescripta non violat, apud homi-
 nes vivit tutus a supplicio. At apud Deum nec iustus
 erit, nec vivus, nisi fidat evangelii promissis. Solus¹³
 omnium Christus execrationi non fuit obnoxius, qui
 totus innocens legi nihil debebat. Nos eramus obno-
 xii, ac per hoc execrabiles. Verum ille nos obnoxios
 execratione liberavit, noxam vertens in innocentiam, et
 execrationem in benedictionem, tantum abest, ut
 vos (*) voluerit ad legis servitutem pertrahi. Quo-
 modo autem liberavit? Nimirum nostris admissis de-
 bitum supplicium ipse dependit innocens, et execra-
 tionem, quae nos tenebat obnoxios, in se transtulit,
 ipse alioqui liber, et benedictionis particeps. An non

LI 4.

(*) Aliae: nos

in se transtulit, qui pro nobis inter nocentes, ut nocens ignominiosum crucis supplicium nobis redimendis subiit? Sic enim legimus in libro Deuteronomii Cap. **34** XXI. *Exsecrabilis est quisquis pendet in ligno.* Cur autem id fieri voluit Deus? Nimirum ut sublata exsecratione, quam invehebat lex, benedictio per fidem succederet quondam Abrahae promissa. Succederet autem non solum Judaeis, verum etiam gentibus, non per legis beneficium, quam Christus abolitam esse voluit, sed per benignitatem Iesu Christi, cuius morte reconciliati Deo, et a crassae legis onere liberi, per fidem assequamur benedictionem evangelicam Abrahae posteris promissam, posteris, inquam, non iuxta carnem, sed iuxta spiritum. Tuto fidamus Deo, non enim frustrabitur quemquam. Quod pollicitus est, **35** praestabit. Id quo magis intelligatis, adducam humanum exemplum. Nam quum inter Deum et homines nulla sit comparatio, tamen hominis testamentum aut pactum, ubi semel est comprobatum ac ratum, nemo rescindit, aut addit aliquid propter (*) voluntatem testatoris. Quo magis oportet esse rata pacta, pro- **36** missaque Dei. Is Abrahae pollicitus est benedictionem, quae contingeret omnibus gentibus per illius semen. Semen dixit scriptura, non femina, ne per Mosen, aut David, aut alios promissum expectaremus, sed unicum illud semen designavit, ac verum semen Abrahae patris aeterni, Iesum Christum, in quem nos infiti per baptismum et spiritus communionem, eadem per illum expectamus, quae illi iam praestitit **37** Deus. Sed ut propositum conferamus exemplum, quod Deus semel pactus est Abrahae, ante quam lex esset lata, idque pactum ratum esse voluit, non potest irritum facere lex succedens promisso. Atqui id fieret, si benedictionis haereditas Abrahae posteris promissa, deberetur ex legis observatione, quum in pacto nulla sit

(*) *Alia: praeter*

legis conditio. Nam qui potuit esse, quum lex ipsa nondum esset? Alioqui fingite legem non successisse, nihilo secius praestitisset Abrahae posteris Deus, quod illi pactus fuerat. Quod si huius felicitatis haereditas debetur ex promisso, et promissum ante legem, nullam habet admixtam legis observandae conditionem, cur ab eo secludimus alienos a lege, sed non alienos a fide? Nam si legis beneficio contingit haereditas, videtur irritum reddi pactum Dei, quod praestare nolit, nisi conditio legis accesserit. Perinde quasi quispiam cum homine pactus se daturum illi filiam suam uxorem, contractu rite peracto, post neget se daturum, nisi is vicissim sororem suam ipsi locet, quum pacti tempore soror illi nondum esset nata, nec in pacto fuisset ulla mentio mutui coniugii. Gratuitum erat Dei promissum, solaque fidei conditione ratum erat. Eam quisquis praestat, promissi ius habet. At dixerit quispiam, si hinc erat speranda salus, quo consilio postea Deus addidit legem inutilem? Non prorsus inutilem. Nam tamen non confert innocentiam, tamen coercet peccandi licentiam, dum malas cupiditates caeremoniis, ceu cancellis quibusdam cohibet. Nec data fuisset ea lex, nisi compulisset hominum effrenis malitia, nec tamen in hoc data est, ut tota quoslibet in aeternum obstringeret, sed ad tempus a Deo praefinitum, typis interim delineans Christum, suppliciis deterrens a peccando, et promissis invitans ad innocentiae studium, in hunc usum instituta lataque per angelos auctore Deo, donec evolutis seculis veniret semen illud unicum, per quod Deus Abrahae promiserat salutem omnibus legitimis Abrahae filiis. Sic autem lata est per angelos, ut totius legis potestas esset penes Christum, qui sic medius intercessit inter mosaicam legem et evangelii gratiam, ut illius esset finis, huius initium, sic medius interponens se inter Deum et homines, ut ipse naturam in se utramque complecteretur, utramque alteri

20 conciliaturus. Atqui conciliator, qui intercedit, inter plures intercedat oportet. Nemo enim secum ipse diffidet. Deus autem unus est, quicum diffidium erat humano generi. Proinde tertio quopiam erat opus, qui naturae utriusque particeps utramque inter sese reconciliaret, Deum placans sua morte, et homines sua
31 doctrina ad verum Dei cultum pelliciens. Num igitur lex pugnat cum promissis Dei? Nequaquam. Nec enim succedens irrita reddidit promissa Dei, sed homines in expectatione promissorum continuit, quo magis capaces essent evangelicae gratiae. Nec ideo nunc cessat lex, quod adversaretur promissis divinis, sed quod aequum esset umbras cedere veris, et rem inefficacem efficaci. Nam si lex eiusmodi data fuisset, quae vere vitam largiri posset, tum nec erat futurum cur abrogaretur, nec opus fuisset evangelii praesidio, quum ex lege vere contingeret homini iustitia. Satis igitur fuisset huic fidere, quicumque salutem ambirent aeter-
22 nam. Nunc, ne suis operibus freti negligenter Christi gratiam, in hoc data lex est, quae praescriberet, quid agendum, quid vitandum, ut omnes intelligerent, sese peccatis obnoxios, dum quod per legem didicerunt esse nefarium, non vitant tamen, nimirum victi suis pravis cupiditatibus, atque ita morbum agnoscentes suum, avidius amplecterentur oblatum evangelicae gratiae remedium. Nam ante praescriptum legis impune peccabant, quum licere videbatur quod libebat, et habebant quod admissis suis praetexerent. At lex sic eos constrinxit, ut non possent elabi, quin faterentur se commeruisse poenam, quando negari non poterat, honestum esse, quod lex praescriberet. Hoc consilio, quum Deus nobis nostri fiduciam ademisset, ac malum nostrum nobis posuisset ob oculos, declaratum est promissam illud, quod pollicitus est Deus Abrahae, quodque soli Judaei veluti sibi peculiariter promissum expectabant, tanquam soli Abrahae filii, ad omnes per-

tinere, quoscumque fiducia erga Deum reddidisset veros Abrahae filios, non ex merito legis observatae, sed ex eo, quod sincero pectore crederent evangelio, per mortem Iesu Christi, et innocentiam omnibus contingere, et vitam ac salutem. Et ad hanc quoque rem²³ pro tempore serviebat lex mosaica, quae Judaeos partim minis suppliciorum, partim expectatione promissorum, partim adumbratione venturi Christi, ceu vallo septos coercebat, ne prorsum in omnem impietatem dilapsos, neque dignos, neque capaces evangelicae gratiae Christus adveniens offenderet. Ex legis igitur promissis utcumque somniabant evangelii mysterium. Huius igitur custodia tantisper fulciebantur, donec aperiretur quod lex adumbrasset per involucra, iamque vigilantes clara luce cernerent exhiberi, quod ante ceu per somnium expectassent. Lex igitur non prae²⁴ stabat iustitiam perfectam, sed rudi populo ceu paedagogus erat addita, ut quos honesti ratio nondum poterat in officio continere, eos supplicii metus arceret a magnis flagitiis, atque ita paulatim proficientes ad Christum perducerentur, a quo solo veram expectarent iustitiam, pristinis diffisi ceremoniis. Paedagogus²⁵ autem non sic additur pueris, ut semper adsit, sed tantisper donec adulti iam suapte sponte ferantur ad honesta, nec opus habeant, ut metu mali coerceantur a flagitiis, sed patris hortatu sponte volentesque rapiantur ad ea, quae sunt honesta, vicissim imperantes paedagogo, cuius austeritatem ad tempus salubrem pertulerant. Quemadmodum igitur pater, tametsi liberos habet uni²⁶ ce caros, tamen cogit ad tempus servire paedagogo, cui mox sint dominaturi: Ita Deus populum suum rudem adhuc et crassum, legis austeritate coercuit, donec concepta fide evangelica iam sibi redditi, desinerent esse sub iure paedagogi, sed tanquam ingenui filii sub benignissimi parentis clementia libere viverent. Neque vero solos Judaeos Deus pro filiis suis ducebat, quam-

quam his solis datus est paedagogus. Imo quicumque per fidem evangelicam inferuntur corpori Iesu Christi, eiusque spiritum hauriunt, hi redduntur filii Dei, posteaquam idem cum Christo facti sunt. Quod si id per quod Christo iungimur, commune est omnium, qui
²⁷ minus Deus omnes ex aequo filios agnoscet? Per baptismum autem, non per circumcisionem hausistis spiritum Christi. Quotquot igitur baptizati estis, in Christi consortium transistis, hac parte nihilo inferiores Iu-
²⁸ daeis, qui circumcisionis privilegio sese venditant. Caeteris in rebus, quae ab hominum indulgentia pendent, conditionis, ac personarum discrimen habetur. Hoc suum beneficium Deus ut gratuitum esse voluit, ita voluit omnibus esse commune. Per baptismum renascimur, ac subito velut in aliam creaturam transformamur. Nec imputatur cuiquam, quod quidem ad hoc donum pertinet, quid quis fuerit ante baptismum, Iudaeus an Graecus, servus an ingenuus, masculus an foemina. Omnes per baptismum transistis in Christi corpus, ex aequo participes huius doni, velut a capite
²⁹ in omnia membra dimanantis. Quod si Christus est illud semen Abrahae, per quod Deus pollicitus est omnibus gentibus benedictionem, vos quoque Christo infiti posteritas Abrahae sitis oportet. Si posterius Abrahae, igitur velut haeredes in ius promissi venitis. Si nomen filii datur per Christi consortium, et in hoc omnes ex aequo recipiuntur per fidem ac baptismum, haereditas ad omnes ex aequo pertineat necesse est.

CAPUT IV.

ID ius iam olim quidem debebatur ex promisso, sed nunc demum in illud admittimur, quod, ut ante diximus, quemadmodum iuxta leges humanas, haeres quam diu minor est, non exercet ius suum, imo nihil

differt a seruo, quum natus sit dominus omnium, sed 2
metu cohibetur, sed alieno arbitrio ducitur, sub tuto-
ribus et actoribus agens usque ad aetatem adultam,
quam legis aut patris voluntas praescripserit. Itidem 3
et nos olim, quum nondum essemus capaces huius do-
ni, quod animos plane coelestes requirit, nec mentes
nostrae iustum etiamnum robur collegissent, puero-
rum in morem crassioribus quibusdam legibus contine-
bamur, accommodis videlicet imbecillitati nostrae, ut
qui nondum coelestem illam doctrinam saperemus, sed
his tantum commoveremur, quae corporeis oculis cerni
possent, quod genus sunt ista, quae constant elemen-
tis huius mundi crassioris, veluti dierum discrimina,
delectus, ciborum, cultus differentia, pecundum victi-
mae, nota corporis. His omnibus ad tempus paruimus
servorum ritu, donec maiorum nondum eramus capa-
ces. Verum simul atque impuberes esse desimus, po- 4
steaquam ad aetatem adultam venire contigit, exacto
temporis modo, quod pater aeternus arcano suo confi-
lio praestituerat nobis, non passus est nos Deus am-
plius fervire praeceptis crassioribus, sed in hoc misit
Deus, non Mosen, aut prophetam, sed unicum fili-
um suum Iesum Christum. Misit autem non per somni-
um aut visum, sed palam omnibus sensibus nostris ex-
hibuit, hominem ex muliere nasci voluit, nostrae na-
turae malis obnoxium, quo praesens nostris calamita-
tibus mederetur, quem et circumcidi reliquamque le-
gis servitutum pati voluit, ut Iudaeos, quos legi re-
perit obnoxios, a legis onere redimeret, ne quisquam 5
postea velut impubes, tanquam sub actoribus serviret,
sed omnes in libertatem filiorum adscisceremur. Nam
servitus pugnat cum filii vocabulo. Atque ut certo 6
argumento doceret divina bonitas, nos in libertatem
filiorum esse assertos, amoto suppliciorum metu, spi-
ritum unici filii sui infudit intimis cordibus nostris, qui
nobis certissimus testis est, quod simus filii Dei. Si-

quidem aliud spirat, aliud clamat spiritus fervilis, aliud filiorum affectus. Ille deprecatur iram domini, hic ingenti fiducia clamat: Abba, pater. Nec dubitamus, quin Deus agnoscat pietatis et caritatis, non metus appellationem. Quod si secus esset, neque Christus suos appellaret fratres, neque docuisset, ut communem Deum patris vocabulo compellaremus:

7 *Pater noster, qui es in coelis.* Proinde cuicumque Deus filii sui spiritum impartit, is iam non servus est, sed filius. Quod si filius est per Christum, per eundem et haeres sit oportet. Quisquis enim adoptat alterum in nomen filii, is in ius haereditatis adsciscit.

8 Sed quemadmodum Judaei pro tempore crassa religione, vel superstitione magis cohibebantur, ne prorsus ab omni religione dilaberentur: Ita vos quondam quum Deum verum ignoraretis, ex maiorum instituto coluistis daemones, qui quum Dii credantur, re non sunt Dii, quod propior videatur verae religioni, qui falsa religione tenetur, quam qui prorsus credens nullum esse numen, nullo religionis affectu tangitur. Judaeis non imputatur, quod pro ratione temporis maiorum institutis servierint, a quibus tamen ad verum pietatis studium sese contulerunt, posteaquam meliora sunt edocti. Nec vobis imputatur cultus simulacrorum, quae rati numen habere per errorem adorastis, posteaquam per evangelicam doctrinam verum Deum cognovistis, imo, ut melius dicam, posteaquam ab eo cogniti estis. Neque enim ille a vobis repertus est, sed ipse vos ad se pertraxit afflatu, quemadmodum quod illum nunc ut patrem diligitis, non aliunde est, nisi quod ille prior dilexit vos. Errori pristino facile ignotum est, verum inexpugnabile (*) flagitium fit, post cognitam veritatem ultro ad pristinum errorem relabi. Judaei cognito vero cultu pietatis, a suis desciscunt caeremoniis. Vos ab idolorum cultu revocati, ac

(*) *Aliae: inexpugnabile*

per evangelium veram edocti pietatem, accepto coelesti spiritu, rursus ad iudaicam servitutem vosmet precipites datis, ut quum liberi sitis, tamen ultro servire cupiatis elementis huius mundi, quae nec vim habent ad conferendam iustitiam, nec efficacia sunt ad salutem. An non eo relabimini, dum iudaica superstitione I observatis dies, menses et annos, aliasque temporum differentias, perinde quasi sabbatismi, neomeniae, dies festi, aliaque tempora, in quibus Judaei certa quaedam exercent, aut a certis rebus ceu nefastis abstinent, quidquam conferant ad veram salutem, quum omnia tempora libera sint christianis ad cultum pietatis. Si vere Christo fiditis, unde ista superstitione I I Si non fiditis, vereor ne frustra tantum laboris susceperim in vobis instituendis. Siquidem exciditis a Christo, si Iudaismum admiscetis. Ne committatis, ut et ego meam operam luserim, qui per varias afflictiones vobis evangelium tradidi, et vos tantum malorum frustra pro Christo passi sitis. Quin potius tales sitis, qua- I 2 lem me videtis esse, neglecta legis observatione soli Christo fidentem. Quandoquidem et ipse quondam fui, quales (*) nunc estis, arbitrans eximiam quamdam esse pietatem, circumcidi, servare sabbata, delictum ciborum, pecudum victimas, quarum rerum zelo tum persequebar ecclesiam Dei, quae omnia nunc ut inutilia negligo. Fratres, quod haec vehementius vobiscum exoptulo, vestrum, mihi credite, non meum ago negotium. Ipse poteram recti conscientia contentus esse. Non ideo vobis infensus sum, quod me affeceritis iniuria. Vestri me miseret, si a coeptis tam praeclaris degeneretis. Facite ut sitis constantes, semperque ad meliora proficite potius, quam ad deteriora relabamini. Ego me, primum praedicans vobis evan- I 3 gelium Iesu Christi, ad vestram imbecillitatem deieci. Vos vicissim nunc ad meam firmitatem assurgite, nolite praeclaram illam fidei vestrae gloriam amittere.

(*) Aliae addicit: vos

Nostis enim, quod pridem, quum vobis traderem evange-
 lium, nihil magnificum prae me tulerim, sed humilis
 14 et abiecti homunculi speciem gesserim. Videbatis ho-
 minem tenuem, obnoxium malis, multis invisum ob
 Christi nomen, multis afflictionibus divexatum, ad
 haec simplici rudique sermone. Nihil aliud praedica-
 vi vobis, quam Iesum Christum pro vobis crucifixum,
 et tum tanta erat promptitudo fidei vestrae, ut hisce re-
 bus nihil offensi non reieceritis, neque spreveritis evan-
 gelium nostrum, quum ex eius fide immortalitatem
 polliceremur. Imo summo studio, summoque cum
 honore excepistis me, non ut Paulum, sed ut angelum
 Dei, imo ut ipsum Iesum Christum, propterea quod
 intelligeretis, non humanam esse doctrinam, quam ad
 vos afferebam, sed divinam, neque me meum ipsius
 agere negotium, sed Iesu Christi. Deum igitur in me,
 Christum in me venerati estis. Haec docent fidem ve-
 stram spectatissimam aliquando fuisse, quae tam prom-
 ta fuerit, quae tam constans, ut nullis meis malis, nul-
 15 la specie humilitatis potuerit languescere. Gratulabar
 vobis isto nomine, beatos iudicabam, me felicem du-
 cebam, qui tales haberem discipulos. Quod si poeni-
 ret vos coeptorum, ubi vestra illa felicitas, ubi mea,
 quum et ego mihi de vobis, et vos vobis de me gratula-
 bamini? Nam illud vere de vobis testari debeo, tan-
 ta erat animi vestri erga me propensio, ut vel oculos
 vestros erutos daturi fueritis, si res ita tulisset. Unde
 nunc a nobis alienati, novos apostolos vobis adsciscitis,
 a quibus Iudaismum discatis? Illi fucis ac blandilo-
 quentia vos illectant, sibi que conciliant, non ea prae-
 dicantes, quae vestrae saluti conducant, sed quae ad
 16 ipsorum quaestum ac fastum faciant. Ergone ob id
 factus sum vobis inimicus, quod simpliciter ac vere
 monuerim, quae videbam ad vestram salutem pertine-
 17 re? Equidem video, Galatae, quid agatur, ambiunt vos
 quidam, ac veluti mihi invidentes captant, at non
 sincero

sincero animo. Non enim haec faciunt, quo vobis consulant, sed ut vos ab evangelii libertate seclusos retrabant in Iudaismum, cui ipsi sunt obnoxii. Quaerunt enim alios sui similes reddere, quo videantur ipsi rem praeclearam ac mirificam sectari pariter ac docere. Ne putetis quidvis in quovis aemulandum esse, verum quod rectum est decet aemulari, idque constanter, non modo quum praesens sum apud vos, verum etiam quum absum. Vidistis me legis caeremonias negligere, nihil praedicare praeter Christum, aemulabamini praesentem. Si id rectum erat, cur nunc absente me vultis alios aemulari in iis, quae recta non sunt? Utinam liceret vobis oculos vestros in pectus meum inserere, cerneretis nimirum, quanto cum animi dolore scribam haec. Filioli mei, semel vos genui Christo, non sine multo nixu ac molestia, nunc desciscentes a Christo denuo parturio, donec plene formetur in vobis. Semen bonum ieceram, unde pure christianos nasci conveniebat, sed nescio, quo fascino degeneratis in Iudaeos, et in aliam formam transitis. Christus coelestis est, spiritualis est, vos terreni ac carnales esse tenditis? Sed affectum animi mei non satis exprimit epistola. Utinam nunc liceat apud vos esse, ut quod literis utcutique significo, possim viva voce vobis aperire. Non nihil adderet vultus, non nihil lachrymae, non nihil ipse vocis ardor. In omnia me mutarem, quo vos revocarem ad Christum, nunc blandiens, nunc obtestans, nunc obiurgans. Orationem melius ad varietates animorum, et ad rem praesentem accommodarem. Experirer omnes remediorum vias, donec omnes ad sanitatem revocassem. Nunc quum videam vos partim ad Iudaismum relapsos, partim huius periculo proximis esse, partim, ut spero, constantes in eo, quod a nobis didicistis, in varias curas metusque mihi distrahitur animus, neque satis consilii est, qualibus literis tanto malo queam mederi. Iam ut eos peculiariter

appellem, quibus omnino cordi est, in legis servitutum revolvi, quaeso, ut mihi respondeatis: Si lex Mofi placet, cur non huius auctoritatem sequimini, si parum creditis evangelio? Siquidem ipsa quoque lex Mofi vult eos, qui cooptantur in societatem Christi, liberos esse a servitute legis. Accipitis legem, et non audistis legem, aut si audistis, non intelligitis, quoniam haerentes in cortice literae non penetratis ad medullam spiritus. Scriptum est enim in libro Geneleos. Cap. XX. Abrahae, qui princeps ac pater credentium fuit, duos fuisse filios, quorum maiorem, videlicet Ismaelem, sustulit ex ancilla Agar, minorem Isaac, ex uxore legitima Sara. Verum is, qui natus est ex ancilla, iuxta morem hominum communem natus est, nec quidquam aliud erat, quam filius Abrahae, quemadmodum sunt et Judaei, quamlibet a Christo alieni. Is vero, qui natus est ex uxore libera, praeter communem ordinem naturae, ex effoeta matre, ex vetulo patre, iuxta divinum promissum natus est, et quibus aetas et corporis imbecillitas haeredis desperationem ingerebant, his promissio divina certam fiduciam prolis addidit. Itaque prior ille filius naturae debebatur, hic fidei. Neque vero fabula haec, praeter gestae rei narrationem, nihil habet retrufioris mysterii. Nam huiusmodi ferme est lex mosaica, ut quemadmodum in homine, sub crasso corporis operculo latet animus, corporis moderator, ita sub historia penitus quiddam ac sublimius tegatur. Scrutemur igitur, quid nobis significant per allegoriam duae matres, quid duo filii. Nimirum duae matres adumbrant duo testamenta, quorum alterum edidit populum servituti legis obnoxium, alterum populum per fidem liberum ab onere legis. Siquidem Sina mons est in Arabia, quae Chaldaeorum lingua Agar ancillae nomen refert, confinis monti Sion, in quo sita est civitas, cui quondam erat nomen Iebus, nunc Hierusalem dicitur. Porro qui montem accolunt Agar, et

hodiernis temporibus servitutem serviunt, veluti gentis auctorem conditione referentes. Caeterum Hiero-²⁶ solyma, quae cessit posteris Isaac, nescit servitutem. Ea civitas quoniam in edito sita est, coelestem illam patriam, in cuius municipium adsciti sumus, adumbrat. Ea mater est non solum Judaeorum, sed omnium etiam nostrum, qui Christo credimus. Lex mosaica terrena est, lex evangelica coelestis, nimirum e coelis profecta. Ut corpus servit animo, ita quod crassum est, servile est, quod spirituale, cum libertate coniunctum est. Lex mosaica prior edidit suum foetum, lex evangelica, tametsi serius enixa est, tamen quanto copiosiore sobolem genuit Deo? Illa duntaxat unicam gentem produxit, nec eandem admodum numerosam, haec totius orbis nationes complectitur. Atque id ne fortuito quis putet accidisse, iam olim fore²⁷ praedixit Esaias Cap. XIV, qui prophetico spiritu prospiciens gentium multitudinem, ad evangelium Christi undique convolantem, exultat hisce verbis; Laetare sterilis, quae non paris: Erumpe in gaudii vocem, et clama quae non parturis. Nam longe plures tui filii, quae orba et effoeta videbaris, quam eius, quae virum habet, ac miram posteritatis spem de se pollicebatur. Per paucos Iudaismus olim commendavit Deo, plurimos autem fides evangelii Deo conciliat, ac sine fine conciliatura est. Videtis duas matres, videtis duos filios, duarum gentium auctores. Qui legem mosaicam adhuc mordicus tenent, ad Ismaelem ex ancilla natum pertinent. Nos vero, qui relicta legis fiducia, per fi-²⁸ dem sinceram ab uno Christo pendemus, ad Isaac pertinemus, qui ex libera non secundum carnem natus est, sed iuxta Dei promissum. Nec enim ideo recipimur ad salutem evangelicam, quod sub lege nati sumus, sed quod Deus olim promiserit salutem omnibus, qui per fidem accederent in consortium filii sui Iesu Christi. Quin, hac quoque parte pulchre congruit allegoria,²⁹

quod utraque posteritas sapit originem suam. Siquidem quemadmodum olim Ismael natus grandior, qui iuxta carnem duntaxat fuit filius Abrahae, tenerum adhuc Isaac persequabatur, ex promisso Dei natum, iam tunc inter colludendum plus sibi vindicans, quam aequum erat: Ita nostris quoque temporibus, qui carnali legi haerent, invisos habent eos, qui spirituales evangelii legem amplectuntur, iisque praesire conantur, quasi vindicantes sibi ius primogenitorum, quod uni debebatur Christo, ac vetustatis praerogativa, matris ingenuae filios in servitutem communem pellicere conantur, videlicet, quo ipsi servi maiores, minoribus quodammodo dominantur. At non probat mater ingenua commercium hoc. Non vult misceri dissimiliter natos. Clamat enim protinus indignata, quemadmodum refert scriptura Genes. XXI. *Eiice ancillam et filium eius, nec enim patiar, ut haeres sit filius ancillae cum filio meo Isaac.* Nimium haeret synagoga iis, qui crediderunt evangelio. Nimium urgent Judaei christianos, quorum invident libertati. Si mater serva non vult sponte discedere, pellatur potius, quam commercio servili filium corrumpat meum. Isaac promissa est, ac debetur aeternae salutis haereditas. Agar efferat, si velit, secum hydriam insipidae legis, quam deamat. Meus Isaac efficacem evangelicae doctrinae succum bibens feliciter adolescet usque, donec
31 evadat in virum perfectum. Proinde fratres mei, finite ut Judaei, quibus nimium pertinaciter placet lex servilis, suam sibi habeant servitutem, nec a matris ingenio degenerent. Nos qui et ipsi fuimus aliquando servituti legis obnoxii, et tanquam filii Agar ancillae, persequuti sumus ingenuos ecclesiae filios, nunc exempti sumus a servitute pristina, et cooptati in ius filiorum Sarae. Hanc libertatem Christo ferimus acceptam, cui per fidem sumus infiti, sic ut in commune ius haereditatis promissae venerimus. In eam libertatem, in quam nos Judaeos Chri-

stus suo pretio, veluti postliminio restituit, vos gentes vocavit per evangelium.

CAPUT V.

Nihil superest, nisi ut in eo, quod semel estis assequuti, persistatis. Nam quae dementia fit, a libertate, quae vobis gratuito contigit Christi beneficio, ultro in servitutis iugum inferere colla vestra? Nos experti servitutis molestiam, gratulamur nobis, quibus tandem contigerit libertas. Vos libertatem pertaesi, ultro servitutum affectatis? Fortassis sic vobis ipsis blandimini. Non desciscimus a Christo, sed legem cum Christo copulamus, quo certior fit salutis expectatio. Christus totum hoc beneficium, ut omnibus esse voluit commune, ita sibi soli acceptum ferri voluit. Non patitur in hoc negotio consortium. Atque ut intelligatis, quanto periculo meditemini Judaismum: En ego vobis non ignotus Paulus gentium apostolus, et apostolus institutus ab ipso Christo, palam edico vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil profuturus est. Etenim si vere creditis, ab hoc perfectam salutem omnibus praestari posse, cur accerfitis circumcisionem? Sin diffiditis, nondum agnoscitis beneficium Christi, cuius participes esse non possunt, qui diffidunt. Nam soli fidei datur, non meritis operum. Aut plane Judaei fitis oportet, abdicato Christo, aut plane christiani fitis oportet, reiecto Judaismo. Non fert ille claudicantes utroque pede, non vult vinum novum infusum utribus veteribus, non vult vetus infusum novis utribus. Non fert aslutum pannum novum vestimento veteri, non fert vesti novae veterem pannum admixtum. Si levis esset servitus, fortasse negligi poterat, si grande praemium esset servitutis, poterat conditionis onus mercedis magnitudine pensari. Nunc praeterquam quod onus est

molestissimum, adeo nihil est lucri, ut damnum maximum sit capiendum. Neque vero vobis ipsi blandientes vos ipsos fallatis. Non illigabimus nos universae legis sarcinae, tantum adspargemus aliquid ex lege, ne prorsus simus alieni, recipietur circumcisio duntaxat; victimae pecudum, caeteraque id genus non recipientur. Ego contra, ne quid inscientes erretis, clara voce testor omnibus hominibus, quisquis se circumciderit, sive Judaeus sit, sive secus, obnoxium se facit observandae toti legi. Quemadmodum enim per baptismum toti dedicamur Christo, ita qui circumcitur, totus dedicatur legi. Nam hac veluti tessera, in genus iudaicum cooptatur. Liberum est ex lege quaedam decerpere iis, qui circumcisi non sunt. Caeterum circumcisos tota lex habet obligatos. Cui circumcisio placet, huic et victimae, et sabbata, et neomeniae, et lotiones, et ciborum delectus, et statuta ieiunia, aliaque id genus placeant oportet. Tantum onus ultro accersere, nonne manifestariae cuiusdam dementiae est, praesertim hac mercede, ut ob molestissimam et inutilem servitutem, a Christo libertatis ac salutis unico auctore disciscatis? Etenim ut saepe iam dixi, si veram iustitiam expectatis a legis praesidio, quae per operis fiduciam promittit qualemcumque iustitiam, nimirum alieni facti estis a consortio Christi, qui suum donum gratiae esse voluit, non meriti. Quod si disceditis a Christi contubernio, ne lex quidem vobis erit usui, imo perniciem adferet. Etenim si quem usum habebat ante lucem evangelicam, eum totum amisit divulgato iam evangelii mysterio. Si lex apud vos valet, Christus est antiquatus. Si valet Christus, lex antiquata fit oportet. Quum legem dico, crassam illam atque carnalem mosaicae legis partem intelligo, quam solum mordicus tenent Judaei, ex observatiunculis ad corpus pertinentibus sibi pollicentes perfectam iustitiam, existimantes quod pecudum sanguis adspersus expiet

animum a peccatis, ut aquae lavacrum mentium for-
des abstergeat, aut cibus purus aut impurus animum
expurget, aut inquinet. Nos contra spiritualementis legis 5
portionem amplexi, non ex huiusmodi rerum corpora-
lium superstitiosa observatione promissam iustitiam ex-
spectamus, sed ex eo, quod per evangelium credimus
veram innocentiam, veramque salutem per Christi mor-
tem nobis gratis donari. Nihil autem refert, utrum cir- 6
cumcisis venias ad Christum, an incircumcisis, quan-
do totum hoc negotium non ab observatione legis, sed
a fide pendet, cui licet defint opera legis mosaicae, non
est tamen otiosa, verum occultos impetus addit ad
omnia pietatis officia, non ex praescripto legis, sed ex
caritate, quae nullius iussu, suapte sponte, multo plus
praestat, quam ulla lex possit extundere vel minis, vel
supplicis. Haec quum adest, quorsum opus legis prae-
scripto? Si non adest, ad quid conducit legis observa-
tio? Bene currebatis in evangelii stadio, ad aeternae 7
felicitatis bravium recta properantes. Quis impedivit
cursum vestrum? Cur quod semel placuit, non proba-
tis constanter? Cur vestro decreto rescisso, in alienam
sententiam pedibus itis? Cavete, ne cuiusquam homi-
nis auctoritas tantum valeat apud vos, ut ab instituto
curso cessetis. Semel credidistis veritati, turpissimum
est, nunc ad umbras deflectere. Quod ego docui vos,
auctore Deo docui. Caeterum qui vobis diversa per- 8
suadere conantur, qui fidei vestrae cursum interpellan-
tes, ex transverso avocant ad Iudaismum, non se-
quuntur auctorem Deum, qui vos ad gratiam vocavit
per fidem, non ad Iudaismum per circumcisionem, sed
sequuntur humanas cupiditates, suo quaestui, suae
gloriae, suaeque tyrannidi servientes. Etiam atque 9
etiam cavendum ab istorum oratione. Pauci sunt, sed
hi pauci ni vitentur, periculum est, ne totam multi-
tudinem inficiant, ac totius vestrae congregationis vi-
tiant sinceritatem, quemadmodum videtis a paululo

fermenti, totam conspersionem acidam reddi, cui fuerit admixtum, paulatim acorem suum per omnem farinam antea sinceram diffundens. Quantulacumque portio Judaismi si cum evangelio misceatur, totius fidei vestrae sinceritatem vitiabit. Sed quandoquidem hactenus alieno impulsu coepistis vacillare, certam spem de vobis concipio, quod in pristina sententia perseverabitis, partim quidem fretus animis vestris, pridem mihi perspectis et exploratis, sed multo maxime auxilio Christi. Is dedit, ut alacriter inciperetis, idem dabit, ut fortiter perseveretis. Caeterum quisquis est ille, qui vestrae fidei tranquillitatem puritatemque nova doctrina perturbat, non effugiet iudicium Dei, quamvis fefellerit homines. In praesentia certis de causis nec prodo qui sit, nec in ullum saevio. Deo tamen, cui non est ignotus, quique nullius auctoritate commovetur, poenas dabit, quem laesit potius, quam me. Neque vero vos moveat, si quidam iactitant, me quoque non abhorreere a legis observatione, qui saepenumero Judaeus factus sim Judaeis, ac Timotheum circumciderim. Compulsus id feci, atque idemtidem reclamans, illique tum temporis cessi, quo neque periculi multum adhuc videbatur imminere, si fecissem, et gravis tumultus, ni fecissem. Nunc diversa temporis ratio diversum consilium postulat. Postremo aliud est, pati circumcisionem, aliud praedicare circumcisionem. Passus sum, ut Timotheus circumcideretur. Nunquam docui oportere circumcidi. Ita frequenter cum Judaeis agens a vetitis lege cibis abstinui, nunquam praescripsi cuiquam ciborum delectum. Imo contra docui, nihil referre quibus cibis vescaris, modo sobrie cum actione gratiarum. Erat tempus, quum non nihil dandum esset invincibili persuasioni Judaeorum. Nunc quando satis eluxit evangelium, et pertinacibus animis hoc agunt Judaei, ut gentes etiam in suam pertrahant superstitionem, neque rectum est, neque tutum vacillare, sed libera fronte praedicandum

est, cessasse legem mosaicam, amplectendam omnibus libertatem evangelicam. Nam si verum est, quod isti dicunt, me circumcisionis auctorem ac praeconem esse, quid igitur est, cur me Judaei tam obstinatis odiis in hodiernum usque diem persequuntur? Nam hinc omne gentis odium in me, quod sic praedicem evangelium Christi, ut doceam cessare legem Mosi. Illi putant, se plures habendos apud omnes, si iudaici ritus admiscerentur Christo. Nunc discruciantur invidia, quod omnibus per fidem ad eam gratiam admissis, ipsi circumferunt inutilem circumcisionem. Atque haec praecipua causa, cur iam pridem obstinatis animis mihi perniciem struant, quod per Christi crucem omnibus polliceor perfectam salutem, absque circumcisionis praesidio. Quod si circumcisionem adhuc praedico, quemadmodum quidam calumniantur, cur non cessant Judaei me persequi, quum sublata sit causa, cuius gratia fueram illis invisus? Mihi credite, Galatae, semper eadem fuit, et futura est mea praedicatio? Videte, ut vestra fides itidem sit eadem. Tantum enim abest, ut ¹² assentiar istis, qui circumcisionem docent, ut si non queant a sua lege distrahi, distrahantur penitus ab evangelii consortio, potius quam vos labefactent, et a recto statu sua persuasione dimoveant. Si tam pertinaciter placet istis circumcisio, faxit Deus, ut non solum circumcidantur, verum etiam prorsus abscindantur, ut affatim habeant quod amant. Praestat, illos perire solos, quam alios tam multos in ruinam secum trahere. Fruantur sua pudenda servitute, si tam (*) collubitum est ipsis. Vos fratres, non in servitute, ¹³ sed in libertatem estis vocati per evangelium. Neque quidquam aliud restat, nisi ut caveatis, ne libertatem acceptam per Christi spiritum, per occasionem accommodetis ad carnis cupiditates. Nam ita sublata est ser-

Mm 5

(*) Aliae: ita

vitus legis, ut in huius vicem successerit caritas evan-
 gelica, quae plus impetrat a volentibus, quam lex ex-
 culpebat (*) ab invitis. Nec tamen dominatus aut ser-
 vitus est inter amantes, inter quos mutuum est obse-
 quium. Lex non praecipit, ut pro capite amici tuum
 caput opponas, ut tuum defraudans genium, fratris in-
 opiae subvenias, ut firmus infirmo, doctus indocto,
 melior deteriori obsecundes, et tamen hoc imperat
 caritas, quae sic ubique dicitur, quid sit agendum, ut
 ultro facias, quod dicitur. Porro quod lex tot praescri-
 ptis, tot minis non efficit, id compendio sola praestat cari-
 14tas, totius legis vim ac summam in se complectens. Si-
 quidem quidquid verbosissima lex innumeris praeceptis
 conatur efficere, id totum unico brevique sermone com-
 pletur, nimirum hoc, quem legimus in Levitico Cap.
 XIX. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Proin-
 de si mutua caritate conglutinabimini inter vos, mu-
 tuis officiis omnes fulciemini, mutuis obsequiis adiu-
 15vabimini. Rursum si, quod inter carnales fieri solet,
 mutuis odiis inter vos dissidentes, non solum non sub-
 levatis alii alios, verum etiam obtreccionibus mor-
 detis invicem, nec mordetis modo atque arroditis,
 verum etiam, quod immanium est ferarum, devoratis,
 quod quidem in vobis est: Etiam atque etiam metuen-
 dum est vobis, ne belluarum ritu vos invicem laniantes,
 ad earumdem exemplum mutuis vulneribus conficiami-
 ni. Huc prolabuntur, qui evangelicae caritatis exper-
 tes haerent legi carnali, dum omnia suis commodis
 metiuntur, quum contra christiana caritas alienis ser-
 16viat commodis. Horum autem quae dicta sunt, huc
 tendit summa, ut posteaquam exempti estis a servitute
 legis mosaicae, quae carnalis est, iuxta spiritualem
 evangelicae caritatis legem vitam agatis. Id fiet, si
 nec ceremoniis iudaicis metiemini iustitiam, et a car-
 nis cupiditatibus temperaveritis. Non desieritis esse

(*) Aliae: exigebat

legi obnoxii, si perseveretis esse obnoxii cupiditatibus. Proinde date operam, ut iuxta spiritus ductum vitam agatis. Id si feceritis, abstinebitis ab his factis, ad quae sollicitant carnis cupiditates. Etenim quemadmodum in uno homine corpus est crassum ac grave, animus coelestis et immortalis, utque in eadem lege crassum quiddam est, quam dicimus literam, atque e diverso coeleste quiddam, quod spiritum appellamus: Ita in eodem hominis animo vis quaedam inest ad honesta vocans, rursus altera huic diversa, cognataque corpori ac literae, quae nos ad diversam vitam incitet. Inter has res perpetuum **17** bellum est, dum caro spiritui, spiritus carni adversatur. Caro coerceri potest, prorsus opprimi non potest, quin nitatur adversus spiritum quae si vincat, fit aliquoties, ut quum iuxta spiritum, expetat ea, quae sunt pietatis, tamen superatus a carne faciat ea, quae novit esse fugienda. Quod si spiritus Christi vos impellit **18** volentes ad ea, quae sunt honesta piaque, nihil iuris in vos habet lex mosaica. Ac res quidem invisibilis est spiritus, res invisibilis caro, de qua loquimur in praesentia. Neque tamen difficile est colligere, carnis arbitrio serviat aliquis, an spiritus ductum sequatur. Cuiusmodi sunt fontes, eiusmodi sunt ea, quae proficiscuntur a fontibus. Vita, mores, factaque hominis testantur habitum animi. Ac **19** ne de dubiis, aut occultis in praesentia loquamur, haec sunt, quae palam declarant hominem adhuc carni servire, etiamsi baptismum adeptus sit, ac legis servitutem effugerit, adulterium, scortatio, immunditia, lascivia, **20** simulacrorum cultus, veneficium, similtates, lis, aemulationes, irae, contentiones, factiones, invidiae, ebrietates, comestiones. His quisquis obnoxius est, **21** quamlibet baptizatus, tamen nondum vere liber est, sed cupiditatum malarum servus est. Nec est, quod vobis ob baptismum, aut edita miracula blandiamini. Olim praesens vos monui, ac nunc rursus per epistolam denuntio, quicumque talia patrant, secludentur **22**

ab haereditate regni coelestis. Contra qui vere liberi sunt, et spiritus arbitrio ducuntur, huiusmodi fructibus dignoscuntur. Siquidem adsunt comites, caritas, gaudium, pax, animi lenitas, benignitas, fides, mansuetudo, temperantia. Haec qui suapte sponte praestant, iis nihil opus est admovere legis stimulos, nam hos ipforum innocentia liberos reddit a lege. Porro qui vere Christi sunt, ut spirituales decet, carnem suam crucifixerunt cum suis vitiis et concupiscentiis. Siquidem per baptismum Christo commorimur, simulque cum eo sepelimur. Non convenit medios inter carnem et spiritum fluctuare. Si corpori vitam impartit spiritus, aequum est, ut corpus spiritus regatur arbitrio. Si nos vitam accepimus a spiritu Christi, non a lege, iuxta spiritus eiusdem instinctum vivamus. Si vere hausimus Christi spiritum, huius fructus edamus, ac procul absumus a carnis operibus. Ne simus inanis gloriae cupidi, huius gratia nos invicem provocantes ad certamen, nobis invicem invidentes. Siquidem haec vitia frequenter obrepunt etiam iis, qui pietatis studium profitentur, quum tamen sint praecipua pestis verae pietatis.

CAPUT VI.

Ostendi fratres, quo sit omnibus enitendum, quicumque semel Christo dedere nomen. Et tamen quando baptismus non aufert nobis, ut homines simus, si quis fuerit per humanam infirmitatem in culpam aliquam prolapsus, vestrae partes erunt, qui spiritu robusti non cessistis cupiditati carnis, ut hominem huiusmodi blande leniterque restituatis, erigentes ut resurgat, non saevis dictis proculcantes ut desperet. Hypocritarum est huiusmodi supercilium ac saevitia. Christi spiritus, quoniam cupit omnes salvos fieri,

mansuetudine pellicit ad resipiscendum. Ac saepe fle-
 dit et humiles reddit lenis fraternaque correptio, quos
 prorsus alienat iurgatrix austeritas. Lex mosaica sic
 coercet peccatum, ut tollat peccatorem. Christiana
 caritas medetur vitiis, non exstinguit hominem. Quo
 melior es, hoc clementius accommoda te fraternae in-
 firmitati. Ad id si te parum hortatur exemplum Chri-
 sti, qui suos lenissime pertulit, donec resipiscerent, sal-
 tem illud te adhortetur, quod intelligis fieri posse, ut
 in te recidant vices. Accidit huic humanum quiddam,
 memineris et te hominem esse. Huius lapsus te do-
 ceat, non tibi fidere, nec efferre cristas. Sic age cum
 lapso, quomodo tecum agi cupias, si quid simile tibi
 venisset usu. Et homini potest usu venire quid-
 quid humanum est. Qui vacillarunt impellen-
 tibus pseudapostolis, non sunt per saevitiam
 alienandi, sed per caritatem revocandi ad pristinam
 firmitatem. Nam fieri potest, ut illi vicissim iam ro-
 busti, vestrae subveniant imbecillitati. Qui laborat sub
 onere, sublevandus est, non deiiciendus. Quare vi- 2
 cissim aliorum si alii baiulabitis onera, tum vere prae-
 stabitis legem caritatis, quae peculiariter Christi lex
 est. Is quum nec peccatis esset obnoxius, nec affinis
 esset peccandi periculo, tamen nostras iniquitates ipse
 portavit, ac benignitate sua sanavit, non condemnavit
 austeritate. Nemo sibi placeat tanquam iustus, et hac 3
 fiducia despiciat fratrem aliquo delicto praeventum.
 Nam hoc ipsum argumentum est falsae iustitiae, sibi
 iustum videri. Proinde si quis sibi videtur esse aliquid,
 quum nihil sit, ipse sibi imponit. Nec enim ideo quis-
 quam iustus est, quod alteri lapso se praeferat. Nec
 ideo contaminabitur alieno commisso, si se demittat,
 ut lapsum erigat. Nec ideo bonus est, quod se confe-
 rat deteriori. E suis quisque factis aestimandus est. Ne- 4
 minem tamen oportet suis factis fidere, sed exploran-
 dum, num quod recte facere videtur, sit huiusmodi,

ut probari Deo possit. Quod si te non remordet animus tuus, ne glories ob alienam imbecillitatem, sed ob tuam firmitatem, et glories apud te, tibi gratulans de dono divino. Ne vero iactes apud alios, aut eos despicias, qui tuum robur non assequuntur. Succurre, si potes, si non potes, suo illum iudici relicto. Nec delictum illius tuum diminuet praemium, nec tu pro alieno commisso plecteris, sed apud Deum iudicem sua cuique sarcina tollenda erit. Caeterum quamdiu sumus in hoc seculo, mutuis officiis nos invicem fulcire debemus. Atque ut eorum, qui praecellunt doctibus, partes sunt, doctrina, consolatione, atque exhortatione fratris imbecillitati succurrere: Ita quibus subvenitur, meminerint se non ingratos praebere de se bene meritis. Ita fiet, ut sit inter vos omnium bonorum communio, si qui doctrina valent evangelica, erudiant, erigant, fulciantque rudes, atque hi vicissim de suis facultatibus impartiant doctoribus ac monitoribus suis, ut officiorum fiat commutatio. Videant autem qui docent, ut digna Christo sint, quae tradunt, et Christi spiritum sapiant, alioqui praestat, non assentire doctori. Porro qui perperam tradita doctrina evangelica, praemium accipit ab eo, quem instituit, hominem quidem fallit, imo seipsum fallit, caeterum Deum non fallit. Quare moneo, ut sincere doceatis, nam Deus non irridetur. Sed cuiusmodi sementem fecerit homo, huiusmodi quoque messem facturus est. Qui carnalem tradiderit doctrinam, pro carnali semente fructum demet perituum. Qui vero spiritualem impartierit doctrinam, ex spiritali coelestique doctrina mercedem adsimilem referet, vitam aeternam. Itaque perpetuum studium sit nobis, bene mereri de omnibus. Nec unquam cessemus a benefaciendo, siue gratos nanciscamur, siue ingratos, siue respondeat praemium ab hominibus, siue non respondeat. Nam suo tempore fructus continget a Deo nunquam interiturus,

proque temporariis officiis merces reponetur aeterna. Non semper erit sementis tempus, veniet dies, quum neque nostris benefactis, nec alienis sublevabimur. Quamdiu versamur in hoc mundo, licet Deum benefa-¹⁰ctis demereri, licet aliis opitulari. In die iudicii nec benefactis locus erit, nec bene merendi de quoquam facultas erit. Proinde dum tempus habemus, utamur tempore, bene mereri studentes cum de omnibus, tum vero praecipue de iis, quibuscum nobis religionis ac fidei contubernium est. Judaeus non agnoscit, nisi suos,¹¹ christianus ad exemplum Christi, de nemine non cupit benemereri. Videtis, Galatae, quantopere mihi res cordi sit, qui tam prolixam epistolam vobis meapte manu scripserim. Agnoscitis notulas digitorum meorum. Non est, quod suspicemini subdititiam epistolam, tota mea est, mei pectoris apud vos index. Facite, ut haec plus ponderis apud vos habeat, quam pseudapostolorum cratio. Etenim qui sunt huius ani-¹²mi, ut prius habeant hominibus morem gerere, quam Deo, hi pertrahunt vos ad circumcissionem, ut (*) simul et gentibus invisifitis ob Christum, et Judaeos habeatis infensos ob praeputium. Judaei sunt, et suae gentis odia metuunt, si Christum absque praeputio profiteantur, veluti legem abolentes. Hi magis verentur homines, quam Deum, magisque venantur gloriam apud homines, quam apud Deum. Metuunt ne sincera professio crucis Christi, persecutionem adversus ipsos excitet eorum, quibus Christi nomen est invisum, ne parum gloriosi doctores habeantur, si praeter crucifixum nihil doceant. Neque enim simplici legis studio faci-¹³unt ista, quemadmodum ego quondam errans amore patriae legis, saeviebam in gregem Christi, quando ne ipsi quidem Judaei legem servant, tametsi circumcisi sunt a maioribus. Sed abutuntur vestra simplicitate, vobis imponentes onus circumcissionis, ut se de vobis iactitent apud suos, quod ipsis auctoribus ac magistris

(*) Aliae: ne

Judaismum receperitis. Hac arte placare conantur invidiam suorum, indigne ferentium, per evangelium Christi, legem aboleri. Ego nec Judaeorum invidia detreor, nec gentium insectatione, quo minus sincere
14 praedicem evangelium Christi. Absit autem, ut alia quapiam de re gloriar, quam de cruce domini mei Iesu Christi. Scio crucem huius probrosam esse apud gentes, invisam apud Judaeos, in hac una tamen mihi satis est omnem gloriam meam ponere, quem ne tantulum quidem iam tangit mundi gloria, utpote cui per baptismum in Christi corpus inito, mundus mortuus est, et ego vicissim mundo, nec malis illius terror, nec commodis titillor, nec odium metuo, nec plausum moror, nec ignominiam formido, nec gloriam affecto.
15 Christus mihi pro omnibus, et adversum omnia satis est. Ad huius professionem nihil refert circumcissus venias ex Judaismo, an incircumcissus ex gentibus. Quisquis enim in illius corpus per fidem cooptatur, ita repente transit in alium hominem, ut nova fias creatura, eoque renasci dicitur. Facebant igitur humana discrimina.
16 Quisquis Christum profitetur, tantum hoc meminerit, quod christianus est. Haec esto regula immobilis, hanc quicumque sequuti fuerint, his pacem precor, ac misericordiam precor. Convenit enim his idem precari, quod David precatur Israelitis, quum ait in Psalmis: *Pax super Israel*. Verum duo sunt Israelitarum genera. Sunt Israelitae secundum homines, sunt Israelitae iuxta Deum. Non protinus verus est Israelita, quisquis praeputium habet amputatum, sed qui mentem habet circumcisam, quique per fidem Deo fortis est. His igitur Israelitis, quorum de numero et vos estis, opto pacem ac misericordiam.
17 Valeant autem falso nomine Israelitae, qui pertinacibus odiis decertant adversus evangelium Christi, me certe nunquam dimovebunt ab hac sententia. Quod praedicavi, semper sum praedicaturus. Quare super hac

hac re nemo posthac mihi faceſſat negotium. Tantum enim abeſt ut ab evangelica veritate probris ullis, aut afflictionibus queam divelli, ut ignominiam ob Chriſtum inuſtam mihi, ut carceres, ut virgas, ut vincula et lapidationes, caeteraque mala, quae pro Chriſti nomine perpeſſus ſum, ceu notas, ſtigmataque domini mei Ieſu Chriſti, mecum ubique circumferam in corpore meo, veluti trophaea quaedam oſtentans, ac gloriae mihi ducens, quod, qua licet, imitari merear Chriſti crucem, quam praedico. Favor ac benevolentia domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper adſit ſpiritui veſtro, fratres, ut illius praefidio perſiſtatis in evangelii ſinceritate: Quod votum ut ratum ſit, faxit ille, cuius afflatu haec ſcribo.

PARAPHRASEOS

IN EPISTOLAM PAULI AD GALATAS

FINIS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
 AC DOMINO
 D. LAURENTIO CAMPEGIO
 S. R. E. TT. S. THOMAE IN PARIONE
 CARDINALI
 DES. ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.

Quoties inconstantiam rerum humanarum intueor, Laurenti, Cardinalitii ordinis non infimum decus, videor mihi prorsus Euripum quemdam videre, aut si quid Euripo instabilius; adeo vicibus irrequietis sursum deorsum volvuntur ac revolvuntur, nec possunt eodem in statu diu consistere. Quum ad summa ventum est, recurritur ad relicta, donec rursus eo veniatur, ut a fastidio iam intolerabili cursum deflectere cogamur. Porro si quis mari conetur obfistere, aut huius cursum alio derivare, nunquam id fecerit sine gravi discrimine rerum, ingentique tumultu. Sic olim Romanorum monarchiam excepit democratia, aut certe oligarchia, quae et ipsa tandem eo licentiae processit, ut tribunis plebis ac dictatoribus foret opus, mox etiam imperatoribus, quorum potestas in immensum evecta fecit, ut rursus pristini reipublicae status desiderarentur. Sed infinitum fuerit, ad hunc modum conferre singula rerum genera, surgentium vicissim ac cadentium, florentium, iacentium, ac denuo reflorescentium, nova-